



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

17. Impressio Sacrorum Stigmatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Festum Impressionis Sacrorum  
Stigmatum factæ Seraphico Patriar-  
chæ Sancto Francisco.

EXHORTATIUNCULA I.

O Gratum oculis spectaculum! Fili  
mi! S. Franciscum cernimus vul-  
neribus Christi rubescentem? Cernimus  
Jesum, & Francisco sese quasi incorpo-  
rantem? Accurramus & nos & utrum-  
que amoris osculo stringamus, suspiran-  
tes: Domine! intra vulnera abscondas  
me!

*Instructio meritoria.*

Ut in amore plures ex omnibus reli-  
gionibus prodeant seraphicæ, & erga  
Crucifixum Dominum vulneratæ ani-  
mæ, jungamus quotidiano Missæ sa-  
crificio *quinque Pater & Ave cum ora-  
tione: Respice, quæsumus Domine, su-  
per hanc familiam &c.* Passio Jesu, cla-  
mat S. August. quanta sit, cogitate: Hanc  
in statera cordis vestri appendite; & to-  
tus vobis figatur in corde, qui totus pro  
vobis fixus fuit in Cruce.

II. S.

II.

**S** Franciscus in omnibus adversitati-  
bus non invenit efficacius reme-  
dium, quàm vulnera Christi. Aperta  
sunt & hæc nobis! Hic quiescamus! Est  
& hoc ipsum Crucifixi consilium, cum ad  
quemdam jamjam è religione aufugere  
volenti dixit: *Omne asperum intinge in  
vulnera mea, & erit tibi dulce.* Fili!  
sonet & hæc vox in auribus nostris! Vox  
enim hæc dulcis, & facies ejus decora.  
Cant. 2.

*Instructio meritoria.*

Contraria, & adversa non desunt. So-  
la deficit patientia. Ut retineamus, &  
in tribulationibus sanctè gaudeamus,  
quinque decades hodie recitemus ex SS.  
Rosario, quarum primam applicabimus  
vulneri dexteræ Christi, & sic de cæteris.  
Sic nobis sicut amanti D. Bonaventuræ  
genuinè fatenti: *Non possum esse sine  
vulnere, quando te video vulneratum.*

III.

**O** Dilecte mi! quinque & nobis sunt  
vulnera in sensibus nostris! Sed  
per quinque plagas Crucifixi perpetuè  
salu-

saluti restituti sumus. Attendamus, ne nostrâ incuriâ, sensuum laxitate, & appetituum petulantia iterum renovemus. Ex Sacris vulneribus processit spiritus Jesu, spiritus bonus, spiritus rectus, spiritus dulcis, spiritus fortis, infirma roborans, aspera planans, corda purificans. Non depellamus irreverentiis!

*Instructio meritoria.*

Ne eveniat, quod timeo. En Mariæ consilium, quod dedit S. Mechtildi. Ad hanc sic Deipara: Filia! veni! & osculare vulnera amantissimi Filii mei! Cordi meo fige tria oscula cum gratiarum actione pro effluxu gratiarum copiosissimo in omnes creaturas. Osculando vulnus dextræ, gratias eidem age, quòd fuerit cooperatrix tua in omnibus operibus: Lævæ, quòd fuerit hætenus assy-lon tutissimum in omnibus adversis. Dextri pedis, quòd tanto desiderio in te quærendo cucurrerit; sinistri, quòd ibi inventura sis veniam omnium peccatorum. Qualis hæc doctrina? Maria dedit. Exequamur! Hodie recitabimus officium de SS. Vulneribus Christi ex  
offi-

officiosa Ruth. Cum triplicando hoc amoris suspirio : *Domine Jesu! O Deus cordis mei! Per illa Sanctissima vulnere, quæ amor mei inflixit in Cruce, quæso, tuis famulis subveni, quos pretioso sanguine redemisti.*

Festum S. Thomæ à Villanova  
ex S. Ordine Divi Augustini Archi-  
episcopi Valentini.

EXHORTATIUNCULA I.

**O** Nobilem in Thoma puerulum! Vidit pauperes; vidit & nudos. Quid amor suggerit? Sese propriis exiit vestibûs, & indigenti tribuit. Fili michare! Talia charitatis obsequia miramur! Si imitari non placeat, id saltem præstemus, ut proximum suò bonò Nominè, famâ, & honore denudatum ac privatum vestiamus verbis consolatoriis, defensoriis, & propugnatoriis. *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus.* Psal. 40.

*Instructio meritoria.*

Vix dies, ubi proximus non patitur in  
fama